



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Capitvlvm VI. Exposuisti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

sed privilegium & gratiam dispensationis contra ius commune. At verò eiusmodi dispensatio cum odiosa sit, strictam interpretationem meretur, c. 1. & 2. de filiis presbyt. in 6. Consequenter ita intelligere debemus, vt sacerdotale officium, quod absque altaris ministerio permittitur, etiam Diaconi & Subdiaconi ministerium excludat. Arbitror tamen, quòd Archiepiscopus Ravennatensis, si ipsi visum fuisset, permittere homini potuisset, vt tanquam Diaconus ministraret. eò quòd Pontifex formam ac terminos dispensationis non omnino definierit, sed eius arbitrio reliquerit.

CAPITVLVM V.

Ex parte.

Qui ob periculum lepræ, Medicorum consilio, genitalia sibi abscindi curauit, irregularis non est. Ita etiam habetur in c. si quis à Medicis, 7. d. 55. & dictum est suprâ c. 3.

CAPITVLVM VI.

Exposuisti.

PARAPHRASIS.

Episcopus Militensis quendam in Abbatem promouit, quem postea intellexit manu sinistra carere. De ea re consultus Alex. III. respondit, eum esse ab officio deponendum: tum quia ad ordines sacros cum tam enormi defectu promoueri non potest, quia Episcopum fraudulenter decepit, defectum reticendo.

SUMMARIVM.

1. *Mutilatus manu, aut inutilem habens, ita vt celebrare Missam non possit, irregularis est.*
2. *Credibile tamen est, talem ab Episcopo dispensari posse ad Ordines, & beneficium simplex consequendum.*

NOTANDVM Vn. Qui manu altera caret, aut inutilem habet, ita vt Missam celebrare non possit, irregularis est, & ordinari non potest. Licet enim is, qui in sacer-

dotio absque propria culpa debilitatus, aut mutilatus est, alia officia sacerdotalia, præter altaris ministerium, exercere possit, ordinari tamen non debet, si ob corporis defectum ad altaris ministerium, ac celebrationem Missarum inhabilis est: cum alij ordinum gradus, & ministeria habitudinem habeant ad sacrificium Missæ, tanquam finem & complementum eorum, sicuti colligitur ex c. vlt. hoc tit. Credibile tamen est, Episcopum in tali casu dispensare posse ad ordines minores, & beneficium simplex consequendum, vt docet Viualdus de irregular. tit. de dispensat. Papæ reseruat. n. 4. arg. c. 1. de filiis Presbyt. in 6. Obijci potest c. tuam, 10. de ætat. & qualit. vbi Abbas permittit irregularem in Abbatem eligi, ea conditione, vt sacros ordines nunquam suscipiat. Respondeo cum Gloss. hic. Id per dispensationem factum esse, propter necessitatem. Hic autem necessitas dispensandi non erat; nec persona dispensationem merebatur, quippe quæ defectum suum & irregularitatem in promotione significare debebat, vt dictum etiam fuit in c. innotuit, 20. de elect.

CAPITVLVM VLT.

Thomas.

PARAPHRASIS.

Iste Thomas dubitauit, an irregularis esset, & ad ordines suscipiendos inhabilis, quia casu quodam pollicis dextri vngulam amiserat. Respondit Honorius III. Deformitatem hanc non videri tantam, vt ab ordinibus repellendus sit: quare si nihilominus manus ad frangendam Hostiam potens existat, ordinari posse.

SUMMARIVM.

Carens vngulâ pollicis, ab ordinibus repellendus non est.

NOTANDVM Vn. In corporis defectu duo considerari debent, vt iudicari possit, num ab ordinibus impediatur: An deformitas magna, seu notabilis sit: Et num ordinis exercitium, præsertim Missæ celebrationem impediatur, iuxta ea quæ suprâ dicta sunt cap. 1. & penult.